

peccare potuerunt, etiam ante decimum annum hoc Sacramentum conferendum est. Neque conferri debet perpetuo amentibus, & Beatissima Virgo, sicut ob extrinsecam impeccabilitatem fuit incapax Sacramenti poenitentiae, ita etiam huius Sacramenti recipiendi non fuit capax.

DISPUTATIO XLII.

De Sacramento Ordinis.

PRætermisissis aliis acceptionibus, ordo in præsentibus dupliciter accipitur passivè & activè, ordo passivè sumitur pro potestate & gradu certo Clericorum ad specialia officia Ecclesiastica deputatorum & consecratorum, quo sensu dicitur aliquis habere ordinem Presbyteratus vel Diaconatus. Ordo activè sumitur pro ipsâ ordinatione vel consecratione, quæ est Sacra quædam Cæremonia, quâ alicui potestas peculiari traditur ad munia Ecclesiastica ritè obeunda, ordo activè sumptus est Sacramentum ab aliis peculiariter distinctum in hoc, quod per quinque priora Sacramenta homo in seipso perficiatur, per duò posteriora vero nempe ordinem & matrimonium homo perficiatur in ordine ad totam communitatem.

QUÆSTIO I.

De distinctione, numero, essentia ordinum & an tonsura sit Sacramentum?

DICO 1. Cum in susceptione ordinis quædam consecratio homini exhibeatur per visibilia signa, constat ordinem esse Sacramentum. S. Th. in suppl. Q. 34 a. 3. O.

Explicatur & probatur Conclusio: Ut ordo sit Sacramentum novæ legis requiritur 1. ut sit Cæremonia Sacra externa & sensibilis. 2. Ut sit constans & perpetua. 3. Gratiam conferens. 4. à Christo instituta; sed hæc inveniuntur in ordinatione
ut

tit indicat Apostolus 2. ad Timoth. 1. v. 6. *Admoneo te ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* 1. Timoth. 4. v. 14. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyteri,* ubi per impositionem manuum juxta Trid. sess. 23. de Sacram. ord. cap. 3. explicatur ritus Sacræ ordinationis, per quem dicitur esse collatus effectus gratiæ sanctificantis, est autem hoc Sacramentum à Christo institutum partim antè, partim post resurrectionem, quia juxta Trid. Christus in ultimâ cœnâ Apostolos ordinavit sacerdotes confectendo illis potestatem consecrandi per illa verba: hoc facite in meam commemorationem, at post resurrectionem contulit potestatem remittendi peccata Joannis 20.

His non obstat, quod Christus non adhibuerit illos ritus, qui de factò ab Ecclesiâ adhiberi solent, nec de singulis ordinibus in Sacrà Scripturâ inveniatur mentio expressa; quia poterat Christus Sacramentum conferre per potestatem excellentiæ, & multa per traditionem accepimus, quæ per Apostolos & Evangelistas non sunt scripta.

DICO 2. *Definitio, quam magister de ordine ponit, convenit ordini, secundum quod est Ecclesiæ Sacramentum.* S. Th. in suppl Q 34. a. 2. O.

Probatur: Definitio à magistro lib. 4. sent. dist 24. de Sacramento ordinis tradita est: signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritalis potestas traditur ordinato; atqui hæc convenit Sacramento ordinis; quia continet genus & differentiam; genus, in quo ordo cum aliis Sacramentis convenit, est signaculum quoddam Ecclesiæ sive Sacramentum; differentia verò consistit in aliis particulis; præcipua enim differentia hujus Sacramenti à reliquis est, quod sit collativum spiritalis potestatis non qualiscunque (quia etiam character per

Baptismus impressus est quædam potestas spiritualis)
 sed ad exercendas functiones spectantes ad ministerium
 altaris vel consecrandi Sacram Eucharistiam ut in sacer-
 dote, vel inserviendi sacerdoti consecranti propinquè,
 quæ potestas traditur per majores ordines, aut remo-
 tius, quæ confertur per minores ordines, vel denique
 Sacramenta administrandi ad mysticum Corpus Chri-
 sti gubernandum, hæc enim quoque ad ministerium
 altaris pertinent: cum omnia Sacramenta quandam
 subordinationem ad Eucharistiam habeant.

Ex quibus plenius Sacramentum ordinis definiri po-
 test: signaculum, quo spiritualis potestas traditur & gra-
 tia confertur ad Ecclesiastica munia ritè obeunda.

DICO 3. *Distinctio ordinum est accipienda secundum relationem ad Eucharistiam.* S. Th. in suppl. Q. 37. a. 2. O.

Probatur: Qui secundum suam essentialem ratio-
 nem ordinantur ad Eucharistiam ac ita speciem suam
 habent per ordinem ad Eucharistiam, accipiunt suam
 distinctionem per relationem ad Eucharistiam: cum
 idem sit principium distinctivum, quod est specifica-
 vum; atqui ordines secundum essentialem suam ratio-
 nem ordinantur ad Eucharistiam, ut ex datâ definitione
 patet, cum præcipua munia Ecclesiastica circa Eucha-
 ristiam occupentur; ergò secundum hanc relationem
 distinguuntur, secundum quam septem numerantur
 ordines: sacerdotium, Diaconatus, Subdiacona-
 tus, Acolythatus, Ostiariatus, Lectoratus & Exor-
 cistatus, ita ordines enumerat Trid. sess. 23. Can. 2.
 & Florent. quam enumerationem communiter sequun-
 tur Theologi considerantes ordines secundum pro-
 priam rationem, secundum quam speciale ministerium
 circa Sacramentum Eucharistiæ respiciunt, quia verò
 Canonistæ magis attendunt in ordinibus, quod specia-
 lem habeant in Ecclesiâ dignitatis præminentiam ac ordina-

dinaru
 hinc n
 ordinib
 mentu
 num n
 sam co
 tium,
 circa e
 immed
 Chri
 mater
 diaco
 parat
 muni
 tione
 indig
 nam
 myste
 pe Ca
 digna
 à d. en
 ro fur
 renter
 cessari
 merue
 erame
 absolu
 dividi
 tatione
 bet sua
 mit Cl
 Obj
 decim
 videntu
 lis in Sa

dinatum in gradu quodam supra laicos constituent, hinc novem enumerant, addendo septem enumeratis ordinibus primam tonsuram & Episcopatum. Fundamentum autem ex ratione jam data pro septenario ordinum numero est: quia 1. si minister ordinetur ad ipsam consecrationem Eucharistiæ constituitur sacerdotium. 2. Si ordinetur ad ministrandum sacerdoti circa consecrationem & dispensationem Eucharistiæ immediatè deferendo ipsum Corpus & sanguinem Christi spectat ad Diaconatum. 3. Mediatè ordinare materiam Eucharistiæ in vasis sacris pertinet ad Subdiaconatum. 4. Eandem materiam præsentare & præparare in vasis non sacris ac luminaria accendere est munus Acolythi. 5. Cooperari ad dignam dispensationem Eucharistiæ arcendo & excludendo infideles & indignos, officium est Ostiarii. 6. Præparare ad dignam susceptionem Eucharistiæ instruendo rudes, qui mysteriis fidei nondum sunt sufficienter instructi nempe Catechumenos spectat ad Lectores. 7. Cooperari ad dignam dispensationem Eucharistiæ liberando fideles à dæmonis obsessione impeditos ad exorcistas. Hæc vero functiones sacræ ad Sacramentum Eucharistiæ reverenter & decenter conficiendum & dispensandum necessariæ sunt & sufficiunt, ac ita habetur septenarius numerus ordinum, ex quibus quilibet est verum Sacramentum tum quia Concil. Trid. ante cit. postquam absolutè affirmasset ordinem esse Sacramentū, eundem dividit in septem ordines sine ullâ exceptione aut limitatione, tum quia quilibet ex prædictis ordinibus habet suam determinatam materiam & formam & imprimet Characterem, ratione cujus est initerabilis.

Obj. 1. Si quilibet ordo sit Sacramentum erunt tredecim Sacramenta. Deinde in primitivâ Ecclesiâ non videntur fuisse nisi Presbyteri & Diaconi, de quibus solum in Sacra Scripturâ sit mentio, non verò de Subdiaconi-

nis multò minus de ordinibus minoribus, quos proinde videtur Ecclesia, quæ Sacramenta instituere non potest, instituisse, ut indicat Urbanus I. in Can. nullus 4. dist. LX. *Sacros autem ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia.*

R. Ad 1. Negando sequelam: quia omnes ordines dicuntur unum Sacramentum ordinis propter unitatem finis & subordinationis ad consecrationem Corporis Christi, licet singuli ordines sint specialia & distincta signa imprimètia distinctos characteres.

Ad 2. Licet in primitivâ Ecclesiâ propter paucitatem fidelium non statim distinctas personas à Presbyteris & Diaconis ordinaverint ad aliorum ordinum ministeria, attamen illi ordines in Ecclesiâ fuerunt, nec duo ab Urbano I. loc. cit. enumerati tantum dicuntur facti, quasi soli fuerint Sacramenta, sed quia solis illis erat annexum votum continentia & de ipsis solis expressa fiat in Sacrà Scripturâ mentio, fuisse autem ab ipso Ecclesiæ initio horum ordinum nomina & cuiusque propria ministeria testatur tum Trid. sess. 23. cap. 4. tum S. Dionysius à S. Th. allegatus.

Obj. 2. Juxtà S. Th. in suppl. Q. 37. a. 1. ad 2. *Tota plenitudo Sacramenti huius est in uno ordine scilicet sacerdotio, sed in aliis est quadam participatio ordinis.*

R. Tota plenitudo ordinis est in sacerdotio non quod gratia & character in solo sacerdotio reperiat, sed quod aliorum ordinum Character & gratia sit quadam participatio effectuum sacerdotii, quatenus ad sacerdotii ministerium refertur.

Obj. 3. Episcopatus etiam est Sacramentum & consequenter distinctus ordo sicut cæteri ordines: quia Trid. sess. 23. de reform. cap. 4. Episcopatum inter alios ordines numerat dicitque præcipuè Episcopos ad ordinem

dinem
perior
hæretic
nem ex
R.
nis,
quia ep
dorable
validè
est ep
quatu
disti
dine
conf
bilic
est S
quia
rarch
lus: p
ergo
tus &
sint c
men
DI
est or
Pre
cap. 2
consen
sione p
sacerd
jam cl
majore
Prob
majore
potestas

ordinem Hierarchicum spectare, ac esse Presbyteris superiores, textus etiam ex quibus Concilium contra hæreticos probat Sacramentum ordinis juxta communem expositionem loquuntur de Episcopatu.

3. Episcopatum esse verum Sacramentum ordinis, sed non adæquatè distinctum à sacerdotio: quia episcopatus essentialiter includit ordinem sacerdotalem, ità ut isto non præsupposito, Episcopus validè ordinari nequeat, quod manifestum signum est episcopatum non esse ordinem à sacerdotio adæquatè distinctum, & si episcopatus foret adæquatè distinctus à sacerdotio, necessariò sequeretur esse ordinem sacerdotio inferiorem; siquidem potestas confirmandi & ordinandi propria Episcopo est ignobilior potestate consecrandi corpus Christi, quæ est Sacerdoti propria, hoc autem dici non debet, quia juxta doctrinam Trid. primus gradus in Hierarchia ecclesiastica est episcopatus, de quo Apostolus: posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei; licet ergo valeat præbyteratus ante diaconatum susceptus & diaconatus ante minores ordines, eò quod sint ordines à se mutuò adæquatè distincti, non tamen valet episcopatus ante presbyteratum susceptus.

DICO 4. *In corona non imprimitur character, nec est ordo S. Th.* in suppl. Q. 40. A. 2. ad 1.

Probat 1. Ex Trid. quod Sess. 23. de sac. ord. cap. 2. distinguit primam tonsuram ab ordinibus: *consentaneum fuit... ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures & diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ità distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, per minores ad majores ascenderent.*

Probat 2. Ratione: per quemlibet ordinem tum majorem tum minorem confertur (spiritualis quædam potestas ordinata ad altaris ministerium, sed per primam

primam tonsuram non confertur similis potestas, sed tantum est instituta, ut disponat clericum ad vacandum præ cæteris divino cultui, & ut in ministrum altaris ordinari possit, propter quod per primam tonsuram fit clericus, id est specialiter in sortem Domini deputatus.

Obj. Prima tonsura sæpè à sacris canonibus ordo clericalis vocatur; ergo.

R. Primam tonsuram non esse ordinem, sed ut ait D. Th. est aliquod præambulum vel præparatio ad ordines, quia per primam tonsuram nullus initiatum ad certum officium, nec accipit aliquam specialem potestatem, sed tantum fit clericus & ad divinas laudes deputatur, quod est aliquod prævium ad susceptionem ordinis, quando autem sacri canones primam tonsuram vocant ordinem, sumitur latius pro quocunque statu & gradu clericali non autem pro Sacramento.

Q U Æ S T I O II.

De materia & forma cujuslibet ordinis.

DICO Quia potestas ordinis accipitur à ministro, sed non à materia; ideò porrectio materia magis est de essentia Sacramenti quam tactus, tamen ipsa verba forma videntur ostendere, quod tactus materia sit de essentia Sacramenti, quia dicitur: accipe hoc vel illud S. Th. in suppl. Q. 34. A. 5. ad 3.

Explicatur: Sicut omnia Sacramenta constant ex rebus ut materia & verbis ministri tanquam formâ, ita etiam in singulis ordinibus res, quæ traduntur ab Episcopo ordinante, ad designandum principalem actum cuiuslibet ordini proprium, sunt materia, & verba, quibus significatur potestas, quæ in traditione materiæ confertur, sunt forma ut, patebit ulterius inductione.

1mus inter minores ordines est ostiariatus, cujus materia sunt claves Ecclesie per Pontificem ordinantem ordinando tradite, forma sunt verba ordinantis: *sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, que his clavibus recluduntur.* Officium est templi claves & januam custodire, ac ab aditu templi arcere infideles & excommunicatos; hujus ordinis dignitas apparet ex eo, quod hodie officium thesaurariorum (thesaurarius est idem ac custos sacrarii) quod ad ostiarios antiquitus pertinebat, inter honestiores Ecclesie functiones in Ecclesiis collegiatis & cathedralibus numeretur.

2dus Ordo inter minores est lectorum, hujus materia est codex divinarum lectionum per ordinantem traditus, forma: *accipe & esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter & utiliter officium impleveris, partem cum eis, qui verbum Dei bene administrarunt ab initio.* Officium lectoris est clara & distincta voce recitare in Ecclesia libros veteris & novi testamenti, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent.

3tius Ordo est exorcistatus, cujus materia est liber exorcismorum ab ordinante traditus (permittitur in pontificali romano traditio pontificalis vel missalis: eò quod in his contineantur sacra verba, quorum in exorcismis est usus) forma est: *accipe & commenda memoria & habe potestatem imponendi manus super energumenos sive baptizatos sive catechumenos.* Officium est ex obsessis ejicere Dæmones.

4tus Gradus ordinum minorum est acolythatus, cujus materia est duplex: Episcopus enim imprimis tradit ordinandis candelabrum cum candela extincta, quod successivè manu dextra simul attingunt Episcopo dicente: *accipite ceroferrarium cum cereo, ut sciatis vos ad accendenda Ecclesia luminaria manscipari in nomine Domini;* deindè tradit eis urceolum
vacuum

vacuum dicendo : *accipite urceolum ad suggerendum vinum & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi.* Ministerium hujus ordinis est inservire ministris majoribus subdiacono & diacono in altaris sacrificio, item luminaria deferre & asservare, cum missæ sacrificium peragitur, maximè dum legitur Evangelium, ad quæ munia cum hic ordo ordinetur & quidem principalius ad præparationem materiæ consecrandæ, cum hic actus propinquior sit consecrationi Eucharistiæ, non solius candelabri cum candelâ extincta, sed etiam vel maximè urceolorum traditio est de substantia acolythatus.

¶ *Stus Ordo inter majores sive sacros primus est subdiaconatus, qui licet antiquitus per aliquot sæcula inter minores ordines numerabatur, nec ei annexus erat cælibatus, ita ut adhuc ab aliquibus negetur esse Sacramentum à Christo institutum, est tamen hodiè indubitatè unus ex ordinibus majoribus ut constat ex cap. à multis q. de æt. & qualit. & ord. præfic. lib. 1. tit. 14. in quo Innoc. III cum hodie subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. sub his verbis expressit : erubescant impii, & intelligant iudicio Spiritus sancti eos, qui in sacris ordinibus presbyteratu, diaconatu, subdiaconatu sunt positi &c. & juxtâ communiorē potissimum in traditione fundatam Theologorum sententiam, est verum & proprium Sacramentum, cujus duplex est materia & forma, imprimis traditio patenæ vacuæ & calicis vacui ab ordinante cum hac forma : videte cujus ministerium vobis traditur, ideo vos ad-moneo, ut ita vos exhibeatis, ut Deo placere possitis. Addunt aliqui de necessitate Sacramenti requiri calicem consecratum : quia in hoc distinguitur subdiaconatus à minoribus ordinibus, quod actum exerceat circà materiam consecratam, deindè materia*

sub-

subd
ordin
rum &
Deita
Fili &
materi
diacon
Conci
grale
tam
Sacr
tradi
ordi
teria
cujus
nus i
secre
ità re
rei tr
vit li
mate
tùs ex
subdi
cunde
rem se
est dia
cantar
parare
no off
Stus
Scriptu
Sacram
duplex
nantis f
te Spirit
III, P

subdiaconatûs est traditio libri Epistolarum facta ab ordinante sub hac formâ ; *accipite librum Epistolarum & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei tam pro vivis quam defunctis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti* ; dicunt multi hanc secundam materiam non esse essentialem (de secunda materia diaconatus est idem) videtur tamen conformius Concil. Florent. quod utraque materia unam integram ad valorem ordinationis necessariò requisitam constituat : quia juxtâ Florent. materia remota Sacramenti ordinis generaliter est illud , per cujus traditionem ordo confertur , forma autem verba ordinantis ; Christus enim in genere constituit materiam diaconatus & subdiaconatus in traditione aliqujus rei significantis potestatem spiritualem & munus inserviendi Sacerdoti in iis, quæ spectant ad consecrationem vel ad ministrationem Eucharistiæ , & itâ reliquit determinationi Ecclesiæ specificationem rei tradendæ ; postquam ergo Ecclesia latina specificavit librum Epistolarum & Evangelii , utrumque est materia partialis ordinis diaconatûs & subdiaconatûs ex institutione Christi , qui hanc diaconatûs & subdiaconatûs materiam instituit determinatam secundum rationem formalem , indeterminatam autem secundum esse materiale. Officium subdiaconi est diacono in solemnî missa ministrare , Epistolas cantare, vinum & aquam ad ministerium altaris præparare, calicem & patenam in usum sacrificii diacono offerre , corporalia abluere.

6tus & dignior ordo est diaconatus utpotè in Scriptura expressus & sine dubio à Catholicis pro Sacramento vero admissus , cujus materia rursus est duplex : una est impositio manuum Episcopi ordinantis super caput ordinandi cum hac forma : *accipite Spiritum Sanctum & robur ad resistendum Diabolo*

Ex tentationibus eius in nomine Domini, fundatur hæc cæremonia in Scriptura Act. 6. *hos* (nempè electos in diaconos) *statuerunt ante conspectum Apostolorum & orantes imposuerunt illis manus*. Altera materia est traditio libri Evangeliorum cum hac forma: *accipite potestatem legendi Evangelium in Ecclesia tam pro vivis quam pro mortuis in nomine Domini*. Officium diaconi est Evangelium in sacrificio missæ legere, in defectu Sacerdotum Eucharistiam deferre, Baptisma solemniter ex commissione administrare, ex eadem commissione verbum Dei prædicare.

Dices : In primitiva Ecclesiæ ordinati sunt diaconi sine traditione libri Evangeliorum : quia nondum erat Evangelium conscriptum.

R. Vel quod tunc potestas solemniter cantandi Evangelium, utpote nondum necessaria, non fuerit data diaconis, vel quod aliqua charta continens aliqua in Evangelio proposita fidei mysteria fuerit tradita simul cum impositione manuum; vel quod speciali dispensatione divinâ tunc per solam impositionem manuum fuerint ordinati diaconi, quæ dispensatio postea cessavit.

7mus & primarius inter majores ordines est sacerdotium, cuius materia paritè duplex est: una quâ potestas in corpus Christi verum traditur, & consistit in traditione patenæ cum Hostia superposita & calicis cum vino sub hac forma: *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo missasque celebrandi tam pro vivis quam defunctis in nomine Domini*; altera quâ datur potestas in corpus Christi mysticum consistens in impositione manuum ab Episcopo facta sub hac forma: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata &c.* & quidem prima materia cum sua forma est sacerdotio essentialis, secunda autem est de integritate quasi substantiali sacerdotii. Cujus ratio funda-

D
funda
est quali
corpus C
potestate
tanquam
& confes
quæ com
est essent
regitate
quenter
potesta
quâ tra
cerdoti
confice
pertiri
ficio b
vare in
8 vu
premus
copatu
ti regim
stros al
Hujus S
pedi pal
super ca
num in
rendo ep
cætera at
in Eccle
thei adha
ambæ illi
la verba
Episcopus
bus tangit
tres Epilco

fundamentalis est : quia illud est essentialis, quod est quasi radix cæterorum, sed potestas consecrandi corpus Christi est quasi radix cæterorum ; quia ad potestatem in corpus Christi verum sequitur quasi tanquam proprietas potestas absolvendi à peccatis, & conferendi Sacramenta confirmationis & ordinis, quæ competit Episcopis, ergo sola potestas prima est essentialis sacerdotio, aliæ autem spectant ad integritatem quasi substantialem sacerdotii, consequenter illa materia & forma, quâ traditur prima potestas, est de essentia ordinationis sacerdotalis, & quâ traduntur aliæ potestates, sunt de integritate sacerdotii. Officium Sacerdotum est Eucharistiam conficere & distribuere, absolutionem à peccatis impertiri vel indignis denegare, solemniter & ex officio baptizare, infirmos inungere, Episcopos juvare in prædicatione verbi Dei &c.

8vus sed à sacerdotio non adæquatè distinctus supremus in Hierarchia ecclesiastica gradus est episcopatus ac est sacra cæremonia, per quam Sacerdotii regimen Ecclesiæ & potestas tum ordinandi ministros altaris, tum neophytos confirmandi confertur. Hujus Sacramenti materia non est traditio annuli aut pedi pastoralis, nec impositio libri Evangeliorum super caput ordinandi, nec Unctio, sed sola manuum impositio ; quia semper & ubique in conferendo episcopatu adhibita fuit manuum impositio, cætera autem non fuerunt semper in usu, nequidem in Ecclesia latina & Paulum in ordinatione Timothei adhibuisse manuum impositionem, testantur ambæ illius epistolæ ad Timotheum. Forma sunt illa verba : *accipe Spiritum S.* &c. quæ consecrator Episcopus & ejus assistentes proferunt, dum manibus tangunt caput ordinandi. Ex præcepto Ecclesiæ tres Episcopi sunt necessarii ad conferendum epis-

copatum, non tamen requiruntur tres Episcopi de necessitate Sacramenti, ut certum esse fusiùs probat Pignatelli tom. I. consult. 182. quia plures Pontifices dispensarunt pluries, ut in ordinatione Episcopi assisterent duo alii Prælati non Episcopi & Pius IV. postquam intellexisset aliquos Episcopos in Indiis non à tribus Episcopis sed ab uno fuisse consecratos, & quidem sine pontificiâ verbo vel scripto datâ dispensatione, per specialem constitutionem Episcopos in Indiis constitutos, qui hæctenus, prædicto numero Prælatorum competenti ad id non adhibito, alias tamen ritè consecrationem receperunt, ab huiusmodi excessu ac suspensionis aliisque censuris absoluit, & eos munere episcopali aliisque ordinibus uti permisit, quod facere non potuisset summus Pontifex, si certum non fuisset, ad valorem consecrationis episcopalis non requiri tres Episcopos; quia ex consecrationis Episcopalis validitate dependet validitas ordinis sacerdotalis pro Sacerdotibus ab Episcopo ordinatis; & ab his validitas Sacramentorum Eucharistiæ, pœnitentiæ & extremæ Unctionis, igitur post has tum scripto tum factò datas, declarationes omnibus fidelibus certum est, non requiri ad valorem episcopatus tres Episcopos; cum certum sit, divinam providentiam & Spiritum sanctum perpetuò Ecclesiæ & summo Pontifici assistentem non permissurum errorem tam gravem, qui sit causa tot tantorumque malorum gravium; undè ex hac parte nullum subsidium habent patroni probabilitatum.

Consecratio episcopalis non imprimat specialem characterem; quia per illam ordinationem non confertur potestas adæquatè distincta, sed tantum ali- quod complementum & extensiva perfectio prioris potestatis; si enim potestas absolvendi in Sacerdote

D
& consec
distinctu
valeret E
stas absol
sicut vale
Ut priore
Q. 1.
menti res
dinante
R. Ve
detur d
iterand
diacon
rio & a
ritur in
physica
practic
nificat
Sacram
applica
monii,
men est
immedi
mediate
Hostiam
Q. 2
num, qu
R. Ap
la manut
materia i
positio &
tur, si di
Sacramen
ut in pote
num sensu
& Sacrament

& consecratio Episcopalis superadderet novum & distinctum characterem, non foret ratio, cur non valeret Episcopatus non Sacerdoti collatus vel potestas absolvendi data ante potestatem consecrandi, sicut valet diaconatus collatus ante subdiaconatum. Ut priore Quæst. dictum est.

Q. 1. An in ordinationibus de necessitate Sacramenti requiratur contactus physicus materiæ ab ordinante ordinandis traditæ?

R. Verius videri, requiri contactum. 1. modo, quia id videtur declarari in cap. presbyter de Sacramentis non iterandis, ubi præcipitur, ut ordinatio Sacerdotis & diaconi fiat per contactum corporalem. 2. Traditio & acceptatio sunt correlativa, sicut ergo requiritur in ordinante physica Traditio, sic in ordinato physica acceptatio. 3. Quia verba formæ debent practicè verificari, *ly: accipe:* cum proprietate significat physicam acceptationem. 4. Quia in aliis Sacramentis in usu consistentibus requiritur physica applicatio materiæ, excepto Sacramento Matrimonii, quod habet rationem contractus, non tamen est necesse, ut singula, quæ traduntur, in seipsis immediatè tangantur, sed sufficit aliqua tangere mediatè in suo continente: ut vinum in calice & Hostiam in patena prout communiter docent DD.

Q. 2. Quæ sit differentia inter materiam ordinum, quæ in Ecclesia græca & latina adhibetur?

R. Apud græcos materia sacre ordinationis est sola manuum impositio, apud latinos, ut vidimus, materia in ordinibus superioribus est manuum impositio & instrumentorum traditio, quæ concordantur, si dicatur, quod Christus materiam & formam Sacramenti ordinis in genere duntaxat designaverit, ut in potestate Ecclesiæ relictum sit tale vel aliud signum sensibile in individuo eligere, quod sit materia Sacramenti.

Quisnam est effectus ordinis?

DICO I. *Confertur in ipsa susceptione ordinis amplius gratia munus, per quod ad majora redantur idonei.* S. Th. in suppl. Q. 35. A. 1. ad 3.

Explicatur & probatur: Omne Sacramentum causat gratiam, mortuorum primam, vivorum in non ponentibus obicem causat gratiam per se secundam, per accidens aliquando primam cum jure ad gratias actuales suo tempore dandas, sed omnis ordo est Sacramentum vivorum; ergo causat gratiam & quidem majorem, quam alia Sacramenta: quia per Sacramentum ordinis ad majorem functionem in Ecclesia Dei ordinatur, undè ordinatus accipit per se augmentum gratiæ sanctificantis cum jure ad gratias actuales ad dignè fungendum officio ordini annexo necessarias suo tempore dandas.

Obj. Omnis fidelis habere debet gratiam sanctificantem, specialis verò gratia, quæ distinguit membra Ecclesiæ, est gratia gratis data, ergo si in Sacramento ordinis conferatur gratia specialis, illa erit gratia gratis data.

Rædet S. Th. loc. cit. ad 2. quod, licet gratia gratum faciens sit omnibus Ecclesiæ membris communis, attamen ut quis sit idoneus susceptor illorum donorum, secundum quæ attenditur distinctio in membris Ecclesiæ, debet habere charitatem, quæ sine gratia gratum faciente esse non potest.

DICO 2. *Per quemlibet ordinem aliquis constituitur supra plebem in aliquo gradu potestatis ordinatus ad Sacramentorum dispensationem, undè... oportet, quod in omnibus character imprimatur* S. Th. in suppl. Q. 35. A. 2. O.

Probatur cum ratione in conclusione adducta:
quia

quia pe
etiam e
accipit
cio alio
dispensat
rabilis;
menta ini
Potere
racterem
characte
Ordini
ex con
Q.
Sacram
R.
na sup
non sig
quæ sig
rum fir
niam
tem.

An

DICO
38. A.
Proba
crament
cratus ita
7. in que
byteris su
mandi &
esse cum p

quia per quemlibet non tantum ex majoribus sed etiam ex minoribus Ordinibus deputatur ordinatus & accipit spiritualem potestatem ad exercendum ex officio aliquem actum pertinentem ad Sacramentorum dispensationem, tum quia quilibet ordo est initerabilis: cum non possit bis validè suscipi, sed Sacramenta initerabilia imprimunt characterem; ergo.

Porrò hic character præsupponit essentialiter characterem Baptismi, ex præcepto tantum Ecclesiastico characterem confirmationis, & character superioris Ordinis supponit characterem inferioris Ordinis etiam ex constitutione Ecclesiæ.

Q. Quid in ordine sit Sacramentum tantum, res Sacramenti tantum, Sacramentum & res simul?

R. Sacramentum tantum est illa cæremonia externa superius descripta: quia illa tantum significat, & non significatur; res tantum est gratia sacramentalis, quæ significatur & non significat, res & Sacramentum simul est character, qui significatur per cæremoniam externam, & significat gratiam sanctificantem.

QUÆSTIO IV.

An solus & quilibet Episcopus possit Ordines conferre?

DICO. *Ad Episcopum pertinet in omnibus divinis ministeriis alios collocare. S. Th. in suppl. Q. 38. A. 1. O.*

Probatur: quia proprius & ordinarius minister Sacramenti Ordinis est omnis Episcopus legitimè consecratus ità Trid. sess. 23. de sacr. Ord. Cap. 4. & Can. 7. in quo ità: si quis dixerit, Episcopus non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel Ordines ab ipsis

collatos sine populi vel potestatis secularis consensu aut vocatione irritos esse, aut eos, qui nec ab Ecclesiasticâ & Canonicâ potestate ritè ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi & Sacramentorum ministros, anathema sit. Fundamentum autem desumitur 1. ex S. Scriptura, in qua act. 6. v. 6. & 14. v. 22. 1. Tim. 4. v. 14. 2. Tim. 1. v. 6. ad Tit. 1. v. 5. de solis Apostolis & illis, quos Apostoli in Episcopos ordinarunt, legitur, quod ordines contulerint.

2. Ex perpetuo usu & traditione Ecclesiæ, quæ est certum indicium divinæ institutionis.

3. Ex congruentia: quia ministeria & officia publica in populo distribuere spectat ad Principes, sed Ecclesiæ Principes sunt Episcopi.

Obj. 1. Simples Sacerdotes possunt sacram Eucharistiam consecrare, quod est majus; ergo etiam possunt Ordines conferre, quod est minus.

R. Negando seq. Quia licet conferre Ordines in se sit minoris potestatis, quam transsubstantiare panem & vinum in Corpus & sanguinem Christi: non tamen est ejusdem lineæ, axioma autem illud: qui potest majus etiam potest minus: tantum valet in rebus ejusdem lineæ subordinatis, & quarum potestas non dependet à mera voluntate concedentis

Obj. 2. Quod potest à summo Pontifice committi simplici Sacerdoti, hoc ex jure divino non est annexum Ordini & characteri Episcopali; atqui conferre ordines minores de facto committitur à summo Pontifice simplicibus Sacerdotibus videlicet Abbatibus jus mitræ & baculi habentibus, ut possint subditos sibi Religiosos in minoribus ordinare.

R. Distinguendo maj. Quod potest à summo Pontifice committi simplici Sacerdoti hoc non est annexum ordinariè & velut à proprio ministro conferendum

Or.

Ordinariè
nariè C
rius mi
cis com
traordin
summi P
plex Sacer
dines n
Sacram
deatur
illorum
Di
dines
cis co
verbi
tiscal
Episco
habea
Christi
simple
non a
major
ad cor
habet
Ex quo
cedi à
illum c
potesta
in quob
quia ha
piciunt
Christi
maliter
secrandu
tis se ad f

Ordini & characteri Episcopali N. etiam extraordinarie Con. licet igitur Episcopus sit proprius & ordinarius minister Ordinis, qui citra ullam summi Pontificis commissionem valide omnes Ordines conferat, extraordinarius tamen minister ex commissione solius summi Pontificis in minoribus Ordinibus etiam est simplex Sacerdos, *cujus ratio est*: quod cum minores Ordines non habeant respectum valde propinquum ad Sacramentum Eucharistiæ, & eorum collatio non videatur excedere dignitatem characteris Sacerdotalis, illorum collatio simplici Sacerdoti committi potest.

Dixi: minores Ordines; quod enim majores Ordines simplex Sacerdos ex commissione summi Pontificis conferre non possit, tradit S. Th. loc. cit. ad 3. his verbis: *Papa, qui habet plenitudinem potestatis Pontificalis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinent, dummodo illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Christi. Et ideò ex ejus commissione aliquis Sacerdos simplex potest conferre minores ordines & confirmare; non autem aliquis non sacerdos, nec iterum Sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet majorem potestatem, quam simplex sacerdos.* Ex quo de sacerdotio certum videtur, non posse concedi à summo Pontifice simplici Sacerdoti potestatem illum ordinem conferendi: quia nequit hoc facere ex potestate ordinis, quæ in ipso non est major, quam in quolibet Episcopo; nec ex potestate jurisdictionis quia hæc extendit se ad illos tantum actus, qui respiciunt Corpus Christi mysticum, non autem corpus Christi verum; ordo autem presbyteratus ut sic formaliter respicit immediatè Corpus Christi verum consecrandum; ergo Papæ jurisdictionis non extendentis se ad facultatem consecrandi Corpus Christi verum

non potest concedere simplici sacerdoti potestatem ordinandi sacerdotes, unde dispar est ratio de Sacramento Confirmationis, quod immediatè respicit Corpus Christi mysticum, & de ordinibus minoribus, quorum usus omninò remotè versatur circa Corpus Christi verum.

Nec obstat: quod olim Chorepiscopis fuerit concessa collatio Presbyteratûs & Diaconatûs; quia duplex olim erat genus Chorepiscoporum, alii erant simplices sacerdotes, quibus ex commissione Episcoporum competebat aliqua potestas suprâ reliquos Presbyteros, qualem nunc habent suprâ reliquos presbyteros Archipresbyteri sive Decani tum Collegiatarum Ecclesiarum, tum rurales, alii erant veri Episcopi ita nominati: quia sine certâ Diœcesi erant destinati ad conversionem infidelium, vel tanquam vicarii in subsidium Episcoporum; & his concedebatur collatio talium Ordinum.

De Diaconatu & subdiaconatu idem dicendum videtur ob præactam S. Th. rationem: quia Diaconatus & subdiaconatus proximam habent relationem ad Corpus Christi verum, ad quod potestas jurisdictionis in summo Pontifice se non extendit;

Ad privilegium, quod refertur Abbatibus Cisterciensibus concessum, respondetur vel illud esse confictum, cum non constet Abbates Cistercienses unquam tali privilegio usos fuisse, nec assignari possit ullum tempus, quo sit à simplici presbytero Diaconatûs Ordo collatus, qui ab Ecclesiâ agnitus sit tanquam validus: quod si reverà tale privilegium ab aliquo summo Pontifice concessum fuisset, à sententia asserta recedendum & pro potestate summi Pontificis præsumendum foret, intereà hoc certum est, quod de facto tali privilegio ob communem pro contrario consensum Abbates Cistercienses uti non possint.

Q.
punc
tum C
B.
cramen
ministr
1. E
aliquâ
& ut
2.
ut ob
li præ
3.
seclu
trâ sa
ante
recti
posse
tonse
extrâ
man
4.
cesim.
5.
illa sit
missio
rem,
servav
dine n
exercu
5.
majore
Q.
tus ord
B. I

Q. 1. Quanam sint necessaria tum quoad Episcopum ordinantem tum quoad ordinandum, ut Sacramentum Ordinis licitè conferatur?

R. Præter condiciones generaliter in ministro Sacramenti requisitas, ut licitè quodlibet Sacramentum ministret. Requiritur

1. Ex parte personæ ordinantis, ne ordinans sit aliquâ censurâ Ecclesiasticâ vel irregularitate innodatus, & ut sit jejunus.

2. Ex parte modi conferendi Ordines requiritur, ut observet ritus & cæremonias ab Ecclesia in Pontificali præscriptas.

3. Quoad circumstantias temporis requiritur, ne secluso speciali privilegio majores Ordines conferat extrâ sabbathum quattuor temporum, item sabbathum ante Dominicam passionis & ante Dominicam resurrectionis Domini, minores autem Ordines conferri possunt quolibet die Dominico & festivo, & prima tonsura quolibet anni tempore die hora & loco etiam extrâ missarum solemnias. Patet ex Pontificali Romano.

4. Quoad locum, ne ordinet extrâ suam Diocesim.

5. Quoad Personam ordinandam requiritur, ut illa sit subdita; vel si illa non sit subdita, habeat dimissoriales, sit bene examinata, quoad natales, ætatem, probitatem, scientiam & titulum ordinationis, servaverit interstitia, hoc est annus intercesserit ab ordine majore ultimò suscepto, & in illo ordinem illum exercuerit.

6. Requiritur, ut eidem eodem die duos ordines majores non conferat.

Q. 2. An & qualiter debeat ordinandus esse subditus ordinantis?

R. 1. Debet ordinandus esse aliquo modo subditus

tus

tus ordinantis juxtà Cap. nullus 4. de temp. ordinat. in 6. lib. 1. tit. 9. in quo non subdito etiam Clericalis tonsura conferri prohibetur, & conferens per unum annum à collatione Clericalis tonsuræ suspenditur.

2. Quatuor modis censetur quis subditus Episcopo quoad ordines licitè ab eo recipiendos; nempe ratione originis, ratione Domicilii, beneficii & triennalis familiaritatis seu commensalitatjs cum Episcopo ex cap. cum nullus 3. de temporib. ordinat. in 6. & Trid. sess. 23. cap. 9. de reformat.

3. Ratione originis ordinari potest natus in Dicecesi illius Episcopi, ubi parentes tempore Nativitatis non transeunter sed permanenter morabantur, vel si ex accidenti natus est, in Filiis legitimis attenditur origo Patris, si is Domicilium non mutaverit, si autem Domicilium mutaverit, attenditur Domicilium Matris, ex motu proprio Innocentii XII. qui incipit: speculatores, & refertur Tom. 7. Bullarii Cherub. n. 54. in illegitimis attenditur etiam origo & Domicilium Matris, in expositis attenditur locus, ubi naturaliter orti sunt, vel si de hoc non constat, ubi expositi inveniuntur.

4. Ratione Domicilii potest quis velut subditus ordinari aut dimissorias accipere ab Episcopo illius Dicecesis, in quâ Domicilium sive perpetuam habitationem constituit, ad quod ex cit. motu proprio Innocentii XII. §. II. requiritur *Ut vel per decennium saltem in eo habitando vel majorem rerum ac bonorum suorum partem cum instructis adibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando satis superque suum perpetuò ibi permanendi animum demonstraverit, & nihilominus ulterius utroque casu se verè & realiter animum talem habere jurejurando affirmet.*

5.
po loc
pacific
ratione
§. 8.
6. f
familia
ctum,
ditus
tus fu
termi
nefic
nem
nem
te,
Curi
tii X
rè ti
mat.
Q
sulci
R
rend:
centi
possit
primi
illius
move
interf
aliàs r
2.
cedere
Capitu
vacatio
re, ni

5. Ratione beneficii potest quis ordinari ab Episcopo loci, in cujus Diœcesi beneficium Ecclesiasticum pacificè possidet, cujus redditus ad congruam sustentationem sufficienter ex cit. motu proprio Innocentii XII. §. 8.

6. Ratione familiaritatis ordinare potest Episcopus familiarem: id est domesticæ Episcopi potestati subiectum, qui ejus expensis alitur, licet aliàs non sit subditus, modo per triennium cum Episcopo commoratus fuerit, & tunc debet ei statim id est saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis de beneficio providere, debetque ordinandus ante receptionem ordinum testimoniales litteras proprii originis nempe vel Domicilii Prælati super suis natalibus, ætate, moribus & vitâ Episcopo ordinanti in actibus illius Curie conservandas exhibere ex *Motu proprio* Innocentii XII. §. 13. hæc facultas non competit Episcopis merè titularibus ex *Trid. sess. 14. cap. 2. de reformat.*

Q. 3. Qualiter & à quo concedendæ dimissoriæ ad suscipiendos ordines?

R. 1. Litteræ dimissoriæ, quas aliqui vocant reverendas, sunt litteræ, in quibus continetur scripta licentia & consensus proprii Prælati, ut ejus subditus possit ab alio Episcopo ordinari, in his litteris debet exprimi nomen concedentis, & nomen ac cognomen illius, cui conceduntur, item ad quos ordines promoveri debuit, & si fortè dispenset cum ordinando in interstitiis, vel Episcopo ordinanti hanc potestatem det, aliàs repellendus foret ab ordinibus.

2. Tales litteras præter summum Pontificem concedere potest Episcopus, cui ordinandus est subditus, Capitulum sede vacante non potest infra annum à die vacationis computandum litteras dimissorias concedere, nisi arctatis ratione beneficii: id est illis, qui
alias

alias sine suâ culpâ beneficio carere deberent, vel indigent ordine ad satisfaciendum beneficio, hæc tamen non sunt extendenda ad illos, quibus aliquis vult resignare beneficium, quod actu requirit ordinem, hoc enim est merè voluntarium; econtra electio, præsentatio collatio est de necessitate juris facienda intra certum tempus; Deindè Vicarius Generalis Episcopi tales litteras concedere non potest, nisi Episcopo in remotis agente (id est existente extra provinciam vel Diocesim arg. cap. coram dilecto 35. de elect. lib. 1. tit. 6. aut quando abest ultra duas Diocetas arg. cap. nonnulli 28. de rescript. lib. 1. tit. 3. vel saltem ultra unam Diocetam arg. cap. statutum 11. §. cum vero 1. de rescript. in 6. lib. 1. tit. 3. aut certè juxta arbitrium boni viri) aut nisi speciale ad hoc habeat mandatum cap. cum nullus 3. §. inferiores de temporibus ordinat. in 6. lib. 1. tit. 9. J. G. V. non extendat, hodie tamen talibus Vicariis solet dari expressa super hoc potestas, adeo ut etiam præsentibus Episcopis ex causa rationabili litteras dimissorias concedant. Demum inferiores Prælati & ipsa Capitula etiam Cathedralia & Abbates licet exempti non possunt suis subditis sæcularibus dare litteras dimissorias ad Episcopum alterius Diocesis, sed horum ordinatio secluso speciali privilegio Apostolico seu consuetudine legitime præscripta spectat ad Episcopum, intra cujus Diocesis fines existunt. Ita habetur in cap. cum nullus §. inferiores de temp. ordinat in 6. subditis autem regularibus possunt dare dimissorias: cum in eos ex cap. Abbates 3. de privileg in 6. lib. 5. tit. 7. Ecclesiasticam & quasi Episcopalem jurisdictionem obtineant, & in Trid. sess. 23. cap. 10. de reformat. prohibentur Clericis sæcularibus dare dimissorias; ergo à contrario possunt regularibus illas dare, sed secluso speciali privilegio non nisi ad Episcopum Diocesenum, sive illum, intra cujus

Dico.

Dicece
dinatio
sit hab
gulares
ad quen
1596. (1
3. L
expirac
tione C
revoce
in pr
Capit
Q.
vanda
B.
confu
autem
tur an
vel A
Episco
stittis
minor
conat
13. &
stittis u
relinqu
tur, u
bus ad
disjunct
ut aute
Presby
sæ; tu
ci idone
etiam de
mas oc

Dioecesis fines monasterium existit, dummodo ipse ordinationes habuerit, alioquin si hic ordinationes non sit habiturus poterunt servatis servandis superiores regulares suis subditis regularibus concedere dimissorias ad quemcunque alium Episcopum ita constitutio edita 1596. (prout ab authoribus refertur) à Clemente VIII.

3. Litteræ dimissoriæ cum sint gratia facta, non expirant morte concedentis, undè finitâ administratione Capituli dimissoriæ concessæ ab eo valent, nisi revocentur ab Episcopo, qui eas revocare potest; cum in præjudicium futuri Episcopi statuere non potuerit Capitulum.

Q. 4. Qualiter inter unum & alterum ordinem servanda sint interstitia?

R. Inter minores ordines interstitia in pluribus locis consuetudine contrariâ sunt abrogata, inter minores autem & primum majorem aliosque majores requiritur annus vel Ecclesiasticus; id est: ab uno Paschate vel Adventu ad alium, vel naturalis, in quo tamen Episcopus dispensare potest si adsit causa minor in interstitiis à Subdiaconatu ad Diaconatum, quam à quatuor minoribus ad Subdiaconatum, & adhuc major à Diaconatu ad Presbyteratum; quia Trid. sess. 23. cap. 11. 13. & 14. de reform. potestatem dispensandi in interstitiis unius anni inter Subdiaconatum & Diaconatum relinquit arbitrio Episcopi, nisi aliud Episcopo videatur, ut dispensetur in interstitiis ab ordinibus minoribus ad Subdiaconatum, requirit determinatè sed sub disjunctione causam necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ, ut autem dispensetur in interstitiis inter Diaconatum & Presbyteratum simul utilitatem & necessitatem Ecclesiæ; tunc autem censetur esse Ecclesiæ utilitas, si pauci idonei ministri adsint, tunc necessitas, quando etiam deficiunt idonei, vel ob mortem vel alias legitimas occupationes, vel infirmitatem, hæc facultas dispen-

dispensandi absente Episcopo etiam competit generali
ejus Vicario, sede vacante Capitulo: quia tunc ad il-
lud ejusque Vicarium transit Episcopi jurisdictio.

DISPUTATIO XLIII.

De subjecto ordinis & obligatione.

Subjectum ordinis est, cui tum licitè tum validè or-
do conferri potest, licitam ordinis susceptionem
impediunt omnes suprà Disput. XXXIX. Q. IV. §. 3.
enumeratæ irregularitates ex Jure Ecclesiastico descen-
dentes. Officium ordinis consistit in functione cui-
libet ordini propriâ, quam ut decenter & congruè
ordinatus impleat sitque idoneus Dei minister, quædam
virtutum exercitia eadem Ecclesia ordinatis injunxit,
in quibus consistit ordinis obligatio.

Q U Æ S T I O I.

Quibus ordo licitè & validè conferatur?

DICO I. *Si mulieri exhibeantur omnia, quæ in or-
dinibus fiunt, ordinem tamen non suscipit.* S. Th.
in suppl. Q. 39. a. 1. O.

Explicatur & probatur: Præter Baptismum gene-
raliter ad omnia Sacramenta requisitum: quia Baptis-
mus est janua omnium Sacramentorum, & prius quis
debet in Ecclesiam ingredi per Baptismum, quam in eâ
gradum & præminentiam consequi; requiritur non
tantum ad licitam sed etiam ad validam ordinis suscep-
tionem Sextus masculinus: quia omnis ordo significat
gradum alicujus præminentia; atqui hujus sunt in-
capaces fœminæ: quia Apost. inquit 1. Tim. 2.
*Docere mulieri non permitto, neque Dominari in vi-
rum & 1. Cor. 11. Caput mulieris vir. & cap. 14.
v. 34. Mulieres in Ecclesiâ taceant, non enim per-
mittitur eis loqui, sed subditas esset sicut & lex dicit
videlicet Gen. 3. v. 16. Sub viri potestate eris & ipse
dominabitur tui.*

Unde

Un
jus sig
cenâ
luit.

Obj.

byreraru
minis

redet

XXVII

partici

Presby

quia f

nificat

emissio

Diacon

tus P

factus

DI

requir

porum

S. Th.

Ex

etiam i

omne i

ad sui c

piensis

confirm

etiam i

menta p

queant

prius sul

requirit

nihil ali

impressio

modum

III, P